



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati  
Caesarei, Pars Lyrica**

**Gibbes, James Alban**

**Romae, 1668**

Ad Mnemosynen, Mvsarvm Matrem. Romanæ cuiusdam doneus excidium  
contemplatus, quam viderat stantem cum hac epigraphe; Stet domus  
hæc, donec flutus formica marinos Ebibat, & totum testudo perambulet ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13378**

AD MNEMOSYNEN,  
MVSARVM MATREM.

Romanæ cuiusdans domus excidium contemplatus,  
quam viderat stantem cum hac epigraphe; Stet do-  
mus hæc, donec fluctus formica marinos Ebibat, &  
totum testudo perambulet orbem: ingenij monumen-  
ta, tanquam sola extra aetam temporis, prædicat us-  
que duratura.

## ODE XXXV.

Exegi quæ ego opus (sic placitum lyrae  
Doctori Aonio) dum sequor æthere  
Dirceum vacuo cantibus alitem,  
Vocalisque cyenum non piger Aufidi;  
Exegi cineri præsidium meo,  
Æterni columen nominis, altior  
Fato. Nigra citet, cunquæ volet, dies;  
Vellat Parca comam vertice, frigidos  
Obnubat quæ oculos: haud tamen igneæ  
Lumen mentis erit sub tumulo comes,  
Vel foetus cerebri, vel decus ingenii.  
Nil feralis in hæc iuris habet Dea:  
Compingi impatiens spiritus emicat.  
Viua pars melior, nec metuam amplius  
Mortalis Libitinam, aut miser Aeaci  
Sperabo arbitrium, tunc Superum integrè  
Securus. Pylij dos ea pectoris.  
O AEgypte, ducum mater inanum!  
Illi cura fuit marmora tollere  
Cemento stabili nubibus hospita,  
Famæ signa fuæ: quæ simùl impulit  
Ætatis caries, alayæ fulminis,  
Expectata simùl gloria concidit.  
Romanum quid ego iam Capitolium,  
Augustique lares eloquar aureos?

Vm-

Vmbræ vix tenuis reliquiae manent  
E tot iugeribus suppositis prius.  
Auctorumque foret vix memorabile  
Nomen, perpetuis noctibus obsitum,  
Ni vatum eriperet sacra potentia.  
En hæc parua domus sine perennius  
AEuum fronte tulit; sed breue debuit  
Tantæ ludibrium strata proteruiæ.  
Stant sola ingenij secula machinis.  
Tu donare potes, MNEMOSYNE, inscios  
Momenti atquæ loci libera terminos,  
Musarum genitrix, nec pauidos nigræ  
Lethes. Nostra tuo munere Meniphios  
Vincet charta notas, si bonus & frequens  
Libauit rofeo cultor Apollini.  
Tradam continuis carmina posteris,  
Discent continui nomina posteri:  
Et laudem vsquæ reçens fama canet meam,  
Et laudi interero sempèr ouans meæ.  
Hinc septemgeminis audiar è iugis  
Orbi diuiduo: me leget vltima  
Thule: me Thamesis ciue superior  
Monstrabit Latio cornua Tybridi, &  
Fiet nobilium sic magè fluminum.  
Iam nunc AEolij pectinis arbitrum  
Præmuni meritâ, Pieri, laureâ.



IAC.